

dovei Galliarum Regis, qui post victoriam, quam retulit de Alemannis anno ccccxcvi. baptizatus fuit die Natali Domini ejusdem anni a S. Remigio Episcopo Remensi, ut testatur *Avitus* Episcopus Viennensis in Epistola ad eundem Clodoveum scripta, in qua hæc habet: *Gaudeat ergo quidem Gracia, habere se Principem legis nostræ, sed non jam, que tanto muneris dono sola mereatur illustrari. Siquidem & occiduis partibus in Rege non novo, novi jubaris lumen esfulgurat, cujus splendore congrue Redemptoris nostri Nativitas inchoavit, ut consequenter eo die ad salutem regenerari ex unda vos pareat, quo natum Redemptionis sue Cæli Dominum Mundus accepit. Tria millia hominum de Exercitu Clodovei Galliarum Regis Baptismum suscepisse ait S. Gregorius Turonensis, sex vero millia *Fredegarius* in Epitome, quos *Hincmarus* in vita S. Remigii sic conciliat: *Baptizantur*, inquit, *de Exercitu Clodovei tria millia virorum, exceptis parvulis & mulieribus: Eadem die, qua Clodoveus baptizatus est, Albofedis ejus soror baptizata est, conversa est etiam & alia soror ejus Lantechildis nomine, que in Hæresim Arianorum dilapsa fuerat, que confessa æqualem Filium Patri, & Spiritum Sanctum, christmata est. Anastasius Papa, ubi accepit Clodoveum Francorum Regem sacro Baptismatis fonte fuisse regeneratum, statim gratulatorias ei litteras per *Eumerium* Presbyterum misit, quas *Dacberius* doctissimus *Benedictinus* in Spicilegio publicavit, in quibus Summus Pontifex sic ait: *Tuum, gloriose Fili, in Christiana fide cum exordio nostro in Pontificatu contigisse gloriamur. Quippe Sedes Petri in tanta occasione non potest non letari, cum plenitudinem Gentium intuetur ad eam veloci gradu concurrere, & per temporum spatia expleri sigenam, quam in altum jussus est mittere idem Piscator hominum, & Cælestis Hierusalem beatus Claviger &c. Sed hæc sufficiant de statu Ecclesiæ in quinto sæculo.***

COLLOQUIUM I.

De Hæresibus, que Ecclesiam in quinto sæculo infestant, ejusque sinum lacerant.

D. Quænam sunt Hæreses, quæ Ecclesiam in quinto sæculo exagitarunt?

M. Quatuor præcipue Hæreses in quinto Ecclesiæ sæculo emerferunt, videlicet Pelagianorum, Semipelagianorum, Nestorianorum, & Eutychianorum. Auctor Pelagianorum Hæresis fuit *Pelagius* e Britannia oriundus, Monachus quidem, sed nullis sacris Ecclesiæ dignitatibus insignitus. Unde *Zosimus* Papa in Epistola ad *Aurelium* Primum Carthaginensem, & *Astros* Episcopos, eum vocat *laicum*, quia Monachi id temporis ad Sacros Ordines non promoti inter laicos recensentur. Pelagii Hæresis prælusit *Origenes*, *Theodorus Mopsuestenus*, & *Rufinus* Aquilejensis Presbyter, qui postremus Romam sub Pontificatu *Anastasi*, hoc est, sub finem quarti sæculi veniens, Pelagio Romæ degenti suos errores affricuit. Constat siquidem Pelagium Romæ diu moratum esse, eumque, ante *Rufini* Aquilejensis Presbyteri

in hanc Civitatem appulsam, Romæ integrum famæ, & purum suspitionis fuisse, immo Sanctum audisse, & a viris pietate eximiis Hieronymo, Paulino Nolano aliisque dilectum tanquam virum non parvo profectu Christianum, ut inquit S. Augustinus de peccatorum meritis, & remissione cap. 1. & 2. At *Rufinus*, teste *Mario Mercatore* in præfatione libri subnotationum, Pelagium Romæ decepit, eumque ad prædicationem apprime imbuuit, atque instituit vanitatem. Pelagius errores, quos imbiberat, aliis instillare volens, edidit Romæ brevissimos in S. Pauli Epistolæ Commentarios, quos ipsissimos illos esse, qui libris S. Hieronymi vulgo adjungi solent, egregie probat Eminentissimus *Norifus* in sua Historia Pelagiana.

D. Quos errores disseminavit Pelagius?

M. Errores, quos disseminavit Pelagius ad tres classes revocari possunt. Primo, negabat peccatum originale, & parvulos decedentes sine Baptismo æternæ damnationi esse obnoxios. Secundo, asserbat hominem sine ope gratiæ, per solam naturam, ingentisque liberi arbitrii vires quodcumque bonum opus elicere posse, & gratiam dari intuitu meritorum. Tertio, docebat, hominem solis liberi arbitrii viribus ad eum perfectionis statum asurgere posse, in quo impeccabilis esset, & haberet *ἀνδραγαθία*, seu passionum impassibilitatem, sicut olim inepte fingebant Philosophi Stoici. Sunt nonnulli Theologi, qui Pelagii Hæresim in quatuor dividunt status. Primum vocant *Ebriocismum*, in quo solum naturam, & meras liberi arbitrii vires admittit Pelagius. Alterum appellant *Semicbriocismum*, in quo gratiæ nomen, naturæ & libero arbitrio tribuit Pelagius, quia ea a Deo beneficia accepimus. Tertium nuncupant *Judaismum*, in quo Pelagius gratiam in lege, & doctrina constituit. Quartum denique statum appellant *Semicbriocismum*, in quo Pelagius gratiam voluntatis, & actionis fassus quidem est, sed non sine errore.

D. Habuitne Pelagius aliquos ad suam propagandam Hæresim Discipulos?

M. Pelagius vehementibus suis, atque ardentibus adhortationibus, ut ait S. Augustinus c. 25. libri de Gestis Pelagii, multos, sed Cælestium in primis Auditorialem Scholasticum Romæ eo infecit errore, quem ipse a *Rufino* acceperat. Huic Pelagio adhaesit Cælestius (inquit *Marius Mercator* in Commonitorio cap. 4.) nobilis natu quidem, & illius temporis Auditorialis Scholasticus, sed nature vitio Eunuchus matris utero editus. Ex quibus *Marii Mercatoris* verbis colligitur, Cælestium Pelagii discipulum, cujus patria parum nota est, e nobili genere fuisse prognatum, Auditorium Scholasticum, id est, Advocatum publicarum causarum, Ecclesiarum, & Civitatum; eumque naturæ vitio Eunuchum fuisse. Cum hoc Cælestio Pelagius anno ccccviii. aut ccccix. Romam in Siciliam sese recepit, ubi suam sparavit Hæresim, dum Gothi Italiam depopularentur, Romamque semel, & iterum obsidione cingerent. Biennium Syraculis in Sicilia, aut etiam triennium ferme potuerunt Pelagius & Cælestius. Deinde venerunt in Africam,

Africam, ubi Pelagius relicto Cælestio, post brevem moram Carthagine solvit in Palæstinam. Cælestius, cum Carthagine esset, ad Presbyteratus ordinem promoveri tentavit, sed frustra. Ei quippe obstiterunt fideles Clerici, unusque omnium nomine *Paulinus* Ecclesiæ olim Mediolanensis Diaconus, qui libellam obtulit *Aurelio* Carthaginensi Episcopo, in quo Cælestium multorum errorum infamulavit. Quare *Aurelius* totius Africæ primas Concilium Carthaginense an. ccccxi. convocavit, cui multi interfuere Episcopi, non tamen S. Augustinus, ut ipsemet testatur lib. 2. Retractationum cap. 35. Comparuit in hoc Concilio Cælestius, adversus quem stetit *Paulinus* Diaconus, qui septem erroris Capitula ei objecit. Primo, quod diceret: *Adamum mortalem esse factum qui sine peccaret, sine non peccaret, moriturus fuisset.* Secundo, quod peccatum *Adæ* ipsum solum lesit, & non genus humanum. Tertio, quod parvuli, qui nascuntur, in eo statu sunt, in quo *Adam* fuit ante prævaricationem. Quarto, quod neque per mortem, vel prævaricationem *Adæ* omne genus hominum moriatur, neque per Resurrectionem Christi omne hominum genus resurgat. Quinto, quod lex sic mittit ad Regnum Cælorum, quomodo & Evangelium. Sexto, quod & ante adventum Domini fuerunt homines impeccabiles, id est, sine peccato. Septimo quod Infantes, etiamsi non baptizentur, habeant vitam æternam. Porro, Cælestius ad capitulum secundum, & ad tertium sic respondit, ut ea neque confiteri ausus sit, neque etiam inficias ire voluerit, sed ejusmodi quæstiones utramque in partem ventilari posse dixerit. Addidit tamen, se semper asseruisse infantes egerere Baptismo. Patres Concilii Carthaginensis, ubi Cælestium audivissent, eum damnaverunt, & anathemate perculerunt. Ipse tamen ad Sedem Apostolicam appellavit, ut latam contra se sententiam declinaret, & ne, uti Hæreticus, palam traduceretur. Verum, cum suæ causæ diffideret Cælestius, appellatione neglecta, Ephesum Asiæ Urbem mox contendit, ibique ausus est per obreptionem locum Presbyterii perere. Multos Ephesi suam edocuit Hæresim, quorum ope vicinas Insulas infecit, sed *Rhodum* maxime, sicut scribit S. Hieronymus lib. 4. in Hieremiam. Cum igitur Cælestius Pelagianam Hæresim latissime propagaret, hujus Sectæ homines dicti sunt etiam *Cælestiani*. Interim Pelagius in Palæstinam, ut diximus, profectus, sibi Hierosolymam, perinde ac in aliis Palæstinæ locis Discipulos adscivit, gratiamque aucupari cepit *Joannis* Hierosolymitani Episcopi, qui illum benigne excepit, quod adversus S. Hieronymum, quocum simulates gerebat, opportuno præsidio sibi futurus videretur. Cælestius, conciliata sibi *Joannis* Hierosolymitani Episcopi benevolentia, cristas erexit, eoque temeritatis prorupit, ut Sanctum Hieronymum, cujus Commentarios in Epistolam S. Pauli ad Ephesios carpere ausus est, ad certamen provocarit. Sed ei male cessit martis alea, nam S. Hieronymus, & S. Augustinus in illum calamum strinxerunt, ejusque errores tam solide confutarunt, ut victus, ac prostratus fuerit Pelagius. Patrocinium

quoque *Joannis* Episcopi Hierosolymitani, quo ille Hæreticus gloriabatur, inutile proflus reddidit *Orosius* insignis Presbyter, qui ex Hispania, unde oriundus erat, in Africam, dein in Palæstinam veniens anno ccccxv. declaravit, Cælestium a Concilio Carthaginensi anno ccccxi. fuisse damnatum, & Pelagii errores ab Augustino, & Hieronymo profligatos esse. *Joannes* Episcopus Hierosolymitanus, ad cujus obsequia, salutationis causa, acceperat *Orosius*, conventum habuit Presbyterorum, in quem non solum introduxit *Orosium*, sed etiam Pelagium, quem licet laicum, & in crimine Hæreseos deprehensum inter Presbyteros sedere jussit. *Orosius* Latine, *Joannes* Episcopus Hierosolymitanus Græce loquebantur, sic ut uterque Interprete opus haberet, neuter neutrum intelligeret. Institit tamen *Joannes* *Orosio*, ut ageret accusatorem, seque tunc Judicem acturum. At *Orosius* nolens, ut *Joannes*, qui Pelagio haud parum favebat, Judex & Arbitrator in hac causa federet, palam professus est *Joannem* Judicem minus idoneum videri, Pelagium latinum esse, & se itidem latinum, ac subinde Pelagii Hæresim latinis partibus magis notam, ejusdemque linguæ Judicibus esse reservandam. Quibus permotus *Joannes* Episcopus Hierosolymitanus, sicut testatur ipsemet *Orosius* in sua Apologia, novissimam sententiam protulit, confirmans postulationem, intentionemque nostram, ut ad *Beatum Innocentium* Papam Romanum Fratres, & Epistole mitterentur, universi quod ille decerneret, secuturi. Sed ut Hæreticus Pelagius imposito sibi eatenus silentio conticesceret, & ut nostri ab insultatione convicti *Joannis* confusique temperarent. Universi in hanc sententiam consensimus, gratiarum actione celebrata, pace facta, & consummata ad pacis testimonium oratione discessimus.

Non multo post hunc Conventum Hierosolymitanum Pelagius Hæreseos nomine apud Palæstinos Antistites denunciatus fuit. Ejus accusatores fuerunt *Heros* Arelatenis, & *Lazarus* Aquensis Episcopi, qui suis Sedibus pulsi in Palæstinam secesserant. Hi duo Episcopi errores ex Pelagii & Cælestii libris collectos in libellum retulerunt, hisque adjecerunt tum illos articulos, quorum causa damnatus fuerat Cælestius a Concilio Carthaginensi, tum etiam illos articulos, quo *Hilarius* Syracusanus laicus ad S. Augustinum miserat, ut legere est in Epistola ejusdem *Hilarii* 156. alias 88. & in Epistola Augustini ad *Hilarium* 157. alias 89. Scriptum idiomate latino libellum obtulerunt hi duo Episcopi *Eulogio* Cæsariensi Episcopo totius Palæstinæ Metropolitanano, sed hujus causæ judicium remissum est ad Synodum Diopolitanam, quæ mensè Decembri ejusdem anni ccccxv. coacta fuit. Huic Synodo interfuerunt quatuordecim Episcopi, sed ab ea abfuerunt *Heros*, & *Lazarus* Episcopi, & *Orosius* Presbyter, ita ut nullus in hac Synodo adesset, qui partes Actoris obiret in Pelagium. Perlectus est libellus, in quo *Heros*, & *Lazarus* Episcopi sententias, seu potius virulenta Pelagii dogmata percripserant, & Interpretis opera usi sunt Judices

ces latinæ dictionis ignari. At Pelagius ad sibi objecta responsiones eloquio græco reddidit. Quasdam propositiones a se dictas exposuit, & ad sensum Catholicum inflectere studuit, alias propositiones a se nunquam fuisse assertas confidenter asseveravit. Quin, & ab Articulis in Concilio Carthaginiensi proscriptis, & a quibusdam Cælestii sententiis se abhorreere professus est, sicque per crebra mendacia, & ementitam fidei professionem Pelagius damnationis sententiam declinavit, & innocens ab hac Synodo declaratus est his verbis: *Nunc quoniam satisfactum est nobis prosecutionibus præsentis Pelagii Monachi, qui quidem piis doctrinis consentit, contraria vero Ecclesie fidei reprobat, & anathematizat, Communione Ecclesiastica eum esse, & Catholica confitemur.* Hinc exultans Pelagius, missis in Provinciam Epistolis, sua dogmata approbata fuisse non paucis persuasit; sed perperam, nam S. Augustinus pluribus in locis asserit, tantum abesse, ut in hac Synodo Diospolitana absolutus fuerit Pelagius, ut suo semet ore damnaverit. Certum tamen est, Pelagium mentalium restrictionum peritum tanta versutia acculantium, & judicantium diligentiam elusisse, ut Patribus Synodi Diospolitane fucum fecerit, eisque accusatores suos calumniatores, se vero Catholicum persuaserit. Unde non mirum, si Patres Diospolitani, licet Pelagii Hæresim execrarentur, eum tamen Catholicum se fingentem decepti errore facti absolverint. Qua de causa S. Hieronymus in Epistola 202. alias 24. ad *Alypium*, & *Augustinum*, quæ inter Augustinianas legitur, appellat Synodum Diospolitana *miserabilem*, non quod errores Pelagii approbaverit, sed quod errore facti ipsum absolverit.

Orosius initio Anni ccccvi. e Palæstina in Africam navigavit, & literas ab *Herote*, & *Lazarus* Episcopis Gallis scriptas, quæ gesta in Synodo Diospolitana declarabant, secum detulit, easque Africæ Proconsularis Episcopis, qui tum temporis solemnem Synodum Carthagine agebant, exhibuit. Convenerunt ad hanc Synodum Carthaginiensem Episcopi 68. qui lectis iis quæ contra Cælestium anno ccccxi. in priori Synodo Carthaginiensi statuta fuerant, & gestis in Synodo Diospolitana attente etiam consideratis, Pelagii, & Cælestii errores denuo anathemate confixerunt. Eodem anno Hæresim Pelagianam Synodus Episcoporum Numidiæ, quæ *Milevi* celebrata est, cuique interfuit S. Augustinus, damnavit. Utraque tamen Synodus, sive Carthaginiensis, sive Milevitana secunda discussio negotio relationem misit ad Innocentium I. Summum Pontificem, ut ipse in quo residebat Sedis Apostolicæ Principatus, sua firmaret auctoritate quidquid Episcopi censuissent de damnando Pelagio, & Cælestio, eorumque Hæresi. Quinque etiam Africanæ Præsules, scilicet *Aurelius*, *Alypius*, *Augustinus*, *Evodius*, ac *Possidius*, præter Synodicas Conciliorum Carthaginiensis, & Milevitani secundæ literas, aliam communi nomine familiarem Epistolam eidem Innocentio Papæ scri-

perunt, qua totam Pelagii causam uberius apud illum exposuerunt. Ad literas Synodicas Conciliorum Carthaginiensis, & Milevitani secundæ, sicut ad Epistolam familiarem quinque Episcoporum rescripsit Innocentius Papa die 27. mensis Januarii anni ccccxvii. ac primum quidem nefarium Pelagii dogma condemnavit ut Regulæ Fidei contrarium, & deinde auctores Hæreseos Pelagium, & Cælestium a Communione Ecclesiastica separavit, donec respicerent. Hinc S. Prosper in Carmine de *Ingratis* Romanæ Sedi primam Pelagianæ Hæreseos damnationem acceptam refert his verbis:

*Pestem subeuntem prima recidit
Sedes Roma Petri, quæ Pastoralis honoris
Facta caput Mundi, quidquid non possidet
armis
Religione tenet.* -----

D. Concilium Carthaginense anno ccccxi. celebratum Hæresim Pelagianam, ut jam observasti, condemnavit. Idem factitarunt Concilia Carthaginense, & Milevitana secundum habita anno ccccxvi. Quare igitur S. Prosper scribit Innocentium I. Papam, qui solum anno ccccxvii. Hæresim Pelagianam proscriptit, & Pelagium, & Cælestium a Communione Ecclesiæ separavit, fuisse primum, qui Pelagianam Hæresim condemnavit?

M. Hæc facili negotio conciliari possunt. Quamvis enim Concilium Carthaginense anno ccccxi. indictum a Presbyterio & Ecclesiæ Communione Cælestium, ob errores quos spargebat, repulerit, hæc tamen privata tantum fuit in eum hominem censura, quam Cælestius appellatione ad Romanam Sedem sese elusisse putabat. Idem dicendum est de Episcopis Africanis in Conciliis Carthaginiensi, & Milevitano secundo anno ccccxvi. congregatis. Hi siquidem Episcopi Africanæ ad Sedem Apostolicam, seu ad Innocentium I. Summum Pontificem referendum esse censuerunt quidquid de damnatione Pelagii, & Cælestii sentiebant. Unde ab Innocentio Papa tamquam a Christi Vicario, & Supremo totius Ecclesiæ Capite ultimam illius causæ definitionem expectabant. Merito igitur S. Prosper Romanæ Sedi, seu Innocentio I. primam tribuit Pelagianæ Hæreseos damnationem.

D. Post definitionem Sedis Apostolicæ finita causa, & extincta Pelagianorum Hæresis?

M. Post sententiam latam ab Innocentio I. Romano Pontifice finita quidem fuit causa, sed non finitus error. *Cælestius* quippe vaserimus Sycophanta, qui anno ccccxi. in Concilio Carthaginiensi damnatus, Ephesum se contulerat, & inde Constantinopolim venerat, ubi suam Hæresim disseminans ab *Attico* hujus Urbis Episcopo ejectus est, datis ad Episcopos Asiæ, Thessaloniciæ, & Carthaginiensis adversus illum literis, Cælestius, inquam, audita morte Innocentii Papæ, ex Oriente Romam protinus advolvit sub initium Pontificatus *Zosimi*. Huc cum pervenisset *Cælestius*, *Zosimo* Papæ Synodum in Basilica S. Clementis celebranti libellum porrexit, quo fidem

dem suam testabatur. Ejus professio visa est *Zosimo* Catholica, non quod Cælestii dogmata in hac professione contenta approbaret Summus Pontifex, sed quod Apostolicæ Sedis judicium amplecti se paratissimum exhiberet. Non putavit tamen *Zosimus*, Cælestium statim esse absolvendum, sed *interposito duorum mensium tempore, donec rescriberetur ex Africa, respiciendi ei locus sub quadam medicinalis sententiæ lenitate concessum est*, inquit S. Augustinus lib. 2. de Peccato Originali cap. 7. Suas quoque ad *Zosimum* literas, & professionem fidei misit Pelagius, quibus nimis facile assentiens Pontifex, eum ut Catholicum recepit, duasque hac de re scripsit Epistolas, unam ad Episcopos Africæ, alteram ad *Aurelium* Carthaginensem Episcopum, quibus Sanctos illos Præsules durius increpuit, dolens Pelagii, & Cælestii vices, qui Catholice cum saperent, Hæreseos damnati fuissent. Severe etiam perstrinxit *Zosimus* *Herotem* Arelatensem & *Lazarum* Episcopum Aqueensem, eosque absentes, & Episcopatu, & Communione privavit. Verum, culpam suam, quam errore facti imprudens admiserat *Zosimus*, postea corripuit, eumque excusat S. Augustinus lib. 6. de Peccato Originali cap. 6. his verbis: *Sed multum misericors memorata Sedis Antistes* (scilicet *Zosimus*) *ubi eum, Cælestium, vidit ferri tanta presumptione precipitem, tanquam furentem, donec, si posset fieri, respiceret, maluit eum sensum suis interrogantibus, & illius responsionibus colligere, quam districta feriendo sententia, in illud abruptum, quo jam propendere videbatur, impellere.* Sane, statim ac *Zosimus* a duabus Synodis Africanis accepisset rescripta, & gesta omnia, quæ Pelagii, & Cælestii causam, eorumque damnationem spectabant, & fraudes utriusque Hæretici detexisset, ad pleniorum audientiam Cælestium vocavit. Sed Cælestius male conscius, & artes suas patere, nullumque sibi superesse tergiversandi modum advertens, sese examini subduxit, & Roma excessit, evasit, erupit. Cognita illius fuga, *Zosimus* absque ulla cunctatione tulit in eum, & in Pelagium decretoriam sententiam, universis Mundi Episcopis grandem illam scripsit Epistolam, quæ *Tractoria* appellatur, omnia Conciliorum Africanorum adversus Pelagium, & Cælestium Decreta approbavit, & latam a Decessore suo Innocentio I. in Pelagium, & Cælestium sententiam confirmavit, misitque *Tractoriam* suam Epistolam, & gesta Synodi Africanæ ad *Honorium* Imperatorem Ravennæ agentem, in qua ab ipso petebat, ut Cælestius, omnesque Pelagiani Urbe pellerentur, & toto Christiano Orbe tanquam Hæretici haberentur, quod lubenti animo executus est *Honorius*, Edictum Imperiale emittens anno ccccxviii. quo jussit, Pelagium, & Cælestium ex Urbe ejici, omnes istorum Hæresis convictos facultatibus spoliari, ac perpetuo multari exilio. Aliam adversus Pelagium, & Cælestium Constitutionem edidit Imperator anno ccccix. qua non solum priorem renovavit, sed & insuper sanxit, ut Episcopi, qui *Tractorie* *Zosimi* Papæ Epistolæ sub-

scribere renuerent, suis sedibus ejicerentur. Obtemperarunt universi Episcopi, exceptis tamen *Juliano* Pelagianæ Hæreseos Patrono (qui in Apulia natus, Episcopus fuit Urbis *Eclanensis*, quæ est inter Apuliam & Campaniam, Benevento distans viginti milliariibus, & *Frigentum* nunc vocatur.) & aliis octodecim ejusdem Pelagianæ factionis Episcopis, qui *Zosimi* Papæ Epistolæ subscribere detrectantes, non solum Imperialibus legibus, sed & Sacerdotalibus statutis depositi, atque exautorati omni Italia deturbati sunt. *Julianus*, alique ejus complices octodecim Episcopi suis Sedibus pulsati libellum fidei obtulerunt *Augustino* Primati Aquilejensi, & Epistolam scripserunt ad *Rufum* Thessalonicensem Episcopum Sedis Apostolicæ Vicarium, in qua postulabant audiri in Concilio Œcumenico, quod tamen eis concessum non est, utpote ad proferendos illorum errores ubique terrarum jam damnatos minime necessarium. Pelagiani non tantum Roma, sed etiam Constantinopoli, & Epheso expulsi sunt. E Palæstina quoque, in quam se contulerant, a *Theodoro* Episcopo Antiocheno ejecti sunt. *Cælestius* tamen sub Pontificatu *Cælestini* Romam reversus, in gratiam Summi illius Pontificis irrepere tentavit, sed frustra: Nam *Cælestinus* Papa Decessorum suorum vestigiis insistens, & avitæ de gratia doctrinæ, quam strenue defenderat Augustinus, intrepidus assertor, non solum Cælestium, sed & Julianum, cæterosque Sectæ Pelagianæ homines totius Italiæ finibus jussit extrudi. *Julianus* in Ciliciam apud *Theodorum* Mopsuestenum navigavit, e qua etiam ejectus est post sententiam in Concilio habito in Cilicia, in quo Cælestius cum sua Hæresi damnatus est, ejusque damnationi *Theodorus* Mopsuestenus saltem verbo tenus consensit. E Cilicia ejectus *Julianus* nihil non egit, ut suæ Sedi restitueretur, sed cum ejus conatus ad nihilum reciderent, in Siciliam secessit, ubi mortuus est. Denique, Pelagiani, ut res suas afflictas utcumque erigerent, fœdus cum Nestorianis Hæreticis inierunt. Sed una cum illis in Concilio Generali Ephesino anno ccccxxi. damnati, ad summas angustias redacti sunt, paucique remanserunt per Occidentem hac illac dispersi.

D. Quando, & quo pacto exorta est Semipelagianorum Hæresis?

M. Semipelagianorum Hæresi, quæ Pelagianæ appendix, & infaustus furculus est, initium dedit enatum dissidium in Monasterio *Adrumetino* in Africa occasione Epistolæ S. Augustini ad *Sixtum* Presbyterum, qui postea Romanus Pontifex creatus est. Hanc siquidem Epistolam S. Augustini, quam *Florus* hujus cœnobii Monachus *Adrumetum* transmisit, cum legissent Monachi *Adrumetini*, in sensu a mente S. Augustini penitus alienos distracti sunt. Quod ubi S. Augustinus per *Felicem*, & *Cresconium* Monachos *Adrumetinos* compertum habuisset, scripsit, ad Monachos illos instruendos libros *de Gratia*, & *libero Arbitrio*, duasque misit Epistolas ad *Valentinum* cœnobii *Adrumetini* Præsultum. At librorum *de Gratia*, & *libero Arbitrio* lectio novo errori locum de-

de dit. Cum enim quidam Monachi Adrumetini legissent, omnia bona opera esse Dei dona, inde deduxerunt, neminem esse corripiendum, si præcepta Dei non faceret, sed tantummodo pro illo orandum Deum, ut ipso donante, faceret quod jubebatur. Id S. Augustino *Valentinus* per *Florum* Monachum significavit. Unde S. Augustinus, ut procul ab Adrumetinis omnem errorum caliginem dispelleret, librum *de Correctione, & Gratia* inscriptum elucubravit. Sub idem tempus, quo in Monasterio Adrumetino jacta sunt Semipelagianæ Hæreseos semina, *Vitalis* Carthaginensis sese aperte Semipelagianum prodidit, asserendo non aliter posse liberum Arbitrium, & Dei justitiam servari, nisi dicatur, fidei initium non esse donum Dei, sed esse a nobis, idest, ex propria voluntate, ita ut quisque pro eo, quod ex libertate naturali fecerit, præmium, vel supplicium sit recepturus. Ab hoc errore S. Augustinus volens revocare *Vitalem*, scripsit ad eum Epistolam 217. alias 107. in qua hunc errorem ex precibus Ecclesiæ confutat, & duodecim Regulas proponit ad fidem Ecclesiæ pertinentes circa quæstionem de Gratia Dei. Semipelagianæ Hæreseos ex Africa penetravit in Gallias, ubi late propagata est, multosque nacta Patronos, præsertim *Vincenium Livinensem*, *Faustum* Episcopum Rejensem, *Gennadium*, plures Presbyteros Massilienses, & *Cassianum*, qui non fuit natione Scythæ, ut plerisque visum est, sed in Provincia, & forte Massiliæ ortus, sicut post *Holstenium* fuisse probat Cardinalis *Norissus* cap. 1. lib. 2. Historia Pelagianæ. Serpente itaque instar Cancris Semipelagianæ Hæreseos in Gallias, *Prosper*, & *Hilarius* an. ccccxxviii. ad S. Augustinum scripserunt, ut enodaret ipsemet quæstiones a Massiliensibus propositas, ad quos S. Augustinus direxit libros de *Prædestinatione Sanctorum, & de Dono Perseverantiæ*. Verum, cum in dies augetur Semipelagianorum factio, *Prosper* & *Hilarius*, qui Augustini doctrinam defendendam susceperant, Romam profecti a Cælestino Papa anno ccccxxxi. obtinuerunt Epistolam ad Gallias Episcopos datam, in qua eos acrius increpuit, quod permitterent, doctrinam S. Augustini a quibusdam Presbyteris impugnari. Huic Epistolæ Cælestini Papæ adjecta sunt Capitula, quæ S. Leoni Magno aliqui tribuunt. Anno ccccxciv. *Gelasius* Papa in Synodo Romana libros Cassiani, ac *Fausti* damnavit, Sanctorum vero Augustini, ac *Prosperi* Opera commendavit. Eiusdem *Fausti* Episcopi Rejenensis libros nullius in Ecclesia auctoritatis esse declaravit *Hormisdas* Papa in Epistola ad *Possessorum* Episcopum data an. dxx. Denique, Concilium Arausicanum an. dxxix. celebratum omnes Semipelagianorum errores confixit, ut susius ostendimus in Colloquiis Sexti Ecclesiæ Sæculi.

D. Quinam fuerunt Semipelagianorum errores? M. In primis, Semipelagiani existimabant, ad initium fidei, & bonorum operum necessariam non esse gratiam, sed satis superque sufficere vires liberi arbitrii. Sunt tamen gravissimi Theologi, qui asserunt, hunc errorem non fuisse omni-

bus Semipelagianis communem, multosque existisse inter illos, præsertim *Cassianum*, *Faustum*, *Gennadium* &c. qui prævenientis gratiæ interioris etiam ad initium fidei, & bonorum operum necessitatem admiserunt, idque colligunt ex Epistola S. *Prosperi* ad S. Augustinum. Secundo, Semipelagiani docebant, Deum velle indiscriminatim omnium hominum salutem, si ipsi velint, eumque non magis velle Electorum, quam Reproborum salutem. Tertio, insciabantur, prædestinationem fieri secundum propositum Dei, & esse gratuitam, sed eam pendere volebant ex meritis, quæ Deus per scientiam conditionatorum explorabat, etiam in parvulis, qui statim moriuntur post susceptum baptismum. Quarto, gratias sufficientes, præter quas ad actu agendum aliæ ex parte Dei non requirebantur, & quæ quantum ad efficaciam subditæ erant libero hominis arbitrio, omnibus præsto adesse pertendebant. Quinto, dicebant, perseverantiam non esse singulare Dei donum, sed esse in cujuslibet hominis potestate, ita ut, si velit, perseveret. Denique S. Augustini doctrinam rejiciebant tanquam novam, nimis duram, quæ sub ipso prædestinationis nomine fatalem necessitatem inducebat (a).

„(a) Nolo hic contentiosum funem trahere cum Theologo absolutissimo, nec molestam crambem recoquere. Hoc tantummodo fixum menti habere historia Ecclesiastica studiosos volo, sententiam, quæ vult prædestinationem dependere a prævisione meritorum, quæ scilicet prævisio habeatur a Deo per scientiam conditionatorum, seu scientiam mediam, diu discussam fuisse, acriterque in utramque partem disputatam coram *Clemente VIII.*, ac deletos ab eo viros doctissimos, nullam hæreseos notam tulisse, & catholice adhuc defendi a viris doctissimis, eo quod ejus assertores sustinuerint reprobari illam tantummodo, in sensu Semipelagianorum, tenentium opera illa, per scientiam mediam præcognita opera fore ab ipso tantummodo libero arbitrio absque gratiæ auxilio præstanda, quod utique hæreticum est. Id etiam quod hic habetur de gratia sufficienti omnibus ex æquo præstita, quæ ut sit efficax, libero hominis arbitrio fit, habet hodie patronos suos viros graves, & doctissimos, quorum tamen sententia ideo Catholica censenda est quod liberum hominis arbitrium vires suas habere a gratia teneat, & fateatur. Hæc dicta a me sint, non quasi aliam pro alia defendam opinionem, sed ne credant lectores esse hodie Theologos, qui damnatæ Semipelagianorum opinioni pertinacius adhæreant, eamque in scandalum fidelium innovare præsumant.

D. Præter Pelagianam, & Semipelagianam Hæreses, fuitne exorta in quinto Ecclesiæ sæculo alia Hæreseos circa quæstionem de Gratia?

M. Multi moderni Auctores affirmant, erupisse in quinto Ecclesiæ sæculo Hæresim *Prædestinationatorum*, qui, sublato penitus libero arbitrio, omnia Gratia accepta referebant. At de illa Præ-

destinationatorum Hæresi antiqui Scriptores nullam prorsus mentionem fecerunt, ut multi contendunt. Immo Scriptores noni sæculi *Prudentius Tricassinus*, & *Remigius* Episcopus Lugdunensis contra *Scotum Erigenam* disputantes, negant unquam in rerum natura extitisse Prædestinationatorum Hæresim. Extat tamen Epistola *Fausti* in quinto sæculo Episcopi Rejenensis ad quemdam *Lucidum* Presbyterum hisce Prædestinationatorum erroribus infectum, & in duobus libris, quos de *Gratia, & libero Arbitrio* edidit, idem *Faustus* restatur, Prædestinationatorum Hæresim a Conciliis Arelateni, & Lugdunensi fuisse proscriptam, si-bique eam impugnam provinciam ab utroque Concilio fuisse mandatum. Verum *Fausti* testimonium hac in re non magni ponderis esse videtur, cum certum sit, hunc Episcopum intus & in cute fuisse Semipelagianum, & sub prætextu confutandi Prædestinationatorum Hæresim, duos de *Gratia & libero Arbitrio* scripturisse libros, in quibus data opera S. Augustini de gratuita Prædestinatione sententiam totis viribus impugnat, & Massiliensium, seu Semipelagianorum dogmata dudum a S. Augustino everfa restaurare satagit. Cum igitur *Fausto*, aliisque Semipelagianis solenne esset calumniari discipulos S. Augustini, eisque nova, & absurda perperam affingere dogmata; hinc multi viri eruditi adducuntur, ut credant, hanc Prædestinationatorum Hæresim imaginariam fuisse, & sub hoc Prædestinationatorum nomine discipulos S. Augustini a *Fausto*, aliisque Semipelagianis Hæreticis fuisse traductos. Utramque itidem Synodum Arelatensem, & Lugdunensem, itemque *Lucidi* Epistolam, qua suum revocat errorem, fictitias esse, & subdola *Fausti* arte compositas, ut S. Augustini doctrinam sub nomine Prædestinationatorum a Synodis Gallicanis Arelateni & Lugdunensi damnatam vendicaret, sentiunt multi hujus temporis viri eruditi. At, cum difficile creditum sit, *Faustum* Rejensem Episcopum potuisse universis Gallicanis Episcopis imponere, eisque falsas Epistolas, & fictitia obtrudere Concilia; magis mihi probatur sententia Cardinalis *Norissi*, qui cap. 15. lib. 2. Hist. Pelagianæ asserit, quosdam in quinto Ecclesiæ sæculo extitisse obscuros, & rudioris intelligentiæ viros, qui, sublato libero arbitrio, omnia Gratia tribuebant, & perverfas de Prædestinatione, & de morte Christi pro salute hominum opiniones imbiberant, ideoque Prædestinationari appellabantur; eos tamen paucos admodum fuisse, nec unquam in Sectam coaluisse. Certè, *Faustus* unum dumtaxat *Lucidum* Prædestinationarium appellat, ad quem Epistolam direxit, ut eum ab errore abduceret, & ad saniores mentem revocaret. Testatur etiam *Faustus*, hunc *Lucidum* resipuisse, suorumque errorum palinodiam cecinisse. Nulla ergo fuit in quinto Ecclesiæ sæculo conflata Prædestinationatorum Secta, de qua apud antiquos Scriptores ne vola quidem, ac ullum vestigium appareret.

D. Veniamus nunc ad Nestorianorum Hæresim, cujus ortum, progressum, atque interitum breviter exponas velim.

M. Nestorianorum Hæresis parentem habuit *Nestorium*, qui mortuo *Sisinnio* Episcopo Constantinopolitano, sub finem anni ccccxxvii. in ejus locum subrogatus est anno ccccxxviii. Erat ille Germanicia oriundus Oppidulo Syriæ, & Monachus in Laura S. Euprepii prope Antiochiam. Nestorius Magistrum habuit *Theodorum Mopsuestenum*, a quo suum hausit errorem de Incarnatione Verbi. Magnam sanctimoniam speciem affectabat, ob quam a Theodosio Imp. Constantinopolim vocatus, illuc venit cum Anastasio Presbytero, intimo omnium consiliorum suorum socio, statimque suam propalavit Hæresim. At enim non solum patienter tulit Nestorius, ut *Anastasius* ille Presbyter, quem secum duxerat, & *Dorotheus* Episcopus magna voce in Ecclesia inclamarent: *Si quis Mariam Deiparam esse dixerit, anathema sit*; sed etiam ipse in Ecclesia, in qua frequens erat Populus, sermonem habuit de Incarnatione Dominica, qui totum continet impietatis virus tum primum ab ipso prolata. Ad tot Nestorii blasphemias cohorrere omnes Fideles, maximeque fuit Auditorum indignatio, atque animorum commotio. Nestorius tamen paulo post priorem Sermonem, alios ad Populum habuit, in quibus diserte negavit unionem Hypostaticam Verbi Divini, ac subinde Deum vere natum, crucifixum, ac mortuum esse. Præterea, asseruit, B. Virginem non esse Matrem Dei, sed tantum Matrem Christi, duosque in Christo distinxit Filios, quorum unus esset Filius Dei ab æterno genitus, & Consubstantialis Patri, alter vero ex Maria natus, solum gratia, & adoptione Filius Dei esset. Sic in Christum furenti Nestorio, & totius Incarnationis Dominicæ œconomiam subvertenti plures magnis animis resisterunt. Primus tamen, & unus instar omnium Nestorium impie pro Concione dicentem ausus est verbo palam arguere *Eusebius* simplex laicus, qui postea propter singularem doctrinam, & eximiam pietatem *Dorilai* Episcopus fuit consecratus. Is quippe constanti animo suæ fidei, & animosæ in novam exortam Hæresim fortitudinis præclarum specimen dedit, obtestationem suam publice in Nestorium proponendo, quo laudabili facto omnium animos in fidei studio confirmavit, & adversus Episcopum *Pauli Samosatani* impia dogmata renovantem mirum in modum inflammavit. Dum Constantinopoli cuncta sic odii fervent, & omnes in prava dogmata inveherent, Nestorius odium & indignationem Populi nihil moratus, atque ad pestem, quam invexerat, latius spargendam unice intentus, misit per fidos homines in Provincias *Tractatum*, quem ediderat, de Incarnatione, cum aliquot Homiliis. His Nestorii scriptis in Ægyptum perlatis, eaque, ut fieri assolet, avide ob novitatem legentibus Monachis, *Cyrillus* Alexandrinus Episcopus necessarium omnino duxit Epistolam scribere ad Ægypti Monachos, eosque præmunire, ne erroribus contentis in Nestorii scriptis, quæ in eorum manus venerant, per imperitam simplicitatem, vel credulam levitatem inficerentur. Scripsit etiam *Cyrillus* ad Nestorium, ut eum ad penitentiam, & ad palinodiam provocaret. Quibus *Cyrilli* literis rescriptis qui-